



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 51. Joannis Francisci Frisingensis Episcopi obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

rem adhuc alias protulere rationes, Sæc. XVIII.
 eisque Trevirense, Hildesheimense, Mo- A. C. 1727.
 nasteriense, & Leodiense Capitulum
 Cathedrale suffragabantur. Ast eo-
 rum omnium postulata ad acta esse re-
 ferenda, die quarta Martii decerneba-
 tur, & partibus injunctum, ut Cæsa-
 reæ sententiæ die undecima Januarii
 latæ starent, ac denique Mörsii Pro-
 curatori significatum, ne imposterum
 relationibus veritati contrariis, uti ha-
 ctenus fecisset, litem prosequi præ-
 sumeret.

§. LI.

*Joannis Francisci Frisingensis Epi-
 scopi obitus.*

Speciali memoria recolendus est obi-
 tus Joannis Francisci Frisingensis
 Episcopi. Hic ex Illustrissimis Paren-
 tibus Joanne Christophoro Eckero Ba-
 rone a Kapfing, & Maria a Kading
 die 16. Octobr. Anno 1649. Trainii na-
 tus erat: Enituit in eo indoles ad om-
 nem probitatem, & Divinorum amo-
 rem suoapte genio propensa, mens non-
 nisi rerum grandium capax. Haustis
 primis literarum rudimentis Ephebus
 honorarius in obsequiis Alberti Sigis-
 mundi Ducis ac Frisingensis Episcopi
 erat, quo tempore Monachii sua studia

Sæc. XVIII. non sine maxima laude profecutus est,
A. C. 1727. quibus absolutis de amplectendo S. Be-
 nedicti Instituto monastico egit, ab eo
 autem, qui ejus conscientiam mode-
 rabatur, persuasus, inter Canonicos
 Cathedrales assumi quærebat, sperans,
 se Dei honorem, Ecclesiæ utilitatem,
 & animæ suæ salutem pro viribus pro-
 curaturum. Nec diu piis ejus deside-
 riis occasio defuit, Anno enim 1673.
 die 30. Junii Canonicatu Frisingensi de-
 coratus, in inclyto Benedictinorum
 Asceterio ad aram Thaumaturgæ Vir-
 ginis, cui semper addictissimus erat,
 Neo-mystra primum Deo obtulit sacri-
 ficium. Biennio post inter Canonicos,
 quos *Cathedrales* vocant, sedem obti-
 nuit, & nono post anno meritorum
 suffragio in Cathedralis Collegii Deca-
 num electus in primis curis habuit,
 ut Divini officii pensum, ceteræque
 functiones Ecclesiasticæ exacte statis-
 que horis persolverentur, ac demum
 Clerici sibi subjecti morum honestate
 præfulgerent. Ne vero in dignoscen-
 dis Ecclesiæ suæ juribus sibi deesset,
 antiquissima, & a multis centenis, ac
 propemodum mille annis inter pulve-
 res sepulta monumenta & Codices sum-
 ma solertia discussit, & ad indices red-
 egit, eo gratiori labore, quo arden-
 tior in eo erat investigandæ antiqui-
 tatis

tatis cupiditas. Sed hac exercitatione se nihil adhuc fecisse reputabat, nisi & se omnibus beneficium exhibere posset. Ea de causa pro infirmis Xenodochium unacum adjuncta Ecclesia de novo condidit, Pauperes larga eleemosyna quotidie adjuvit, & Religiosis Mendicantibus Frisingam delatis aliisque permultis semper in suis ædibus hospitium & mensam opipare instructam adornavit, multisque aliis pietatis operibus inclaruit. Talis tantusque cum esset Joannes Franciscus, haud mirum, quod omnium amorem atque admirationem in se solum converteret. Hinc Frisingensi Sede vacante Ecclesie Cathedralis Canonici unanimi pene suffragio die prima Maij Anno 1695. eum sibi Episcopum elegerunt. Jam primis Regiminis sui auspiciis luculenter patuit, hanc sibi dignitatem non humano consilio sed divina vocatione esse collatam; eo enim, quo fervebat, Religionis studio totus in eo erat, ut fidei puritas, morum honestas, & Dei cultus in tota Diœcesi refloresceret: ipse Styriam, Carniolam & Tyrolin laborioso itinere emensus erat, ut cives & colonos sibi subditos non modo sua solaretur præsentia, sed & eorum necessitatibus tam animæ quam corporis providus Pastor, & amantissimus Pater

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

Sæc. XVIII. prospiceret, varias etiam sacras excursionses sæpius ad Bavarizæ urbes fecit, A. C. 1727. ibidemque duodecim Ecclesias, & quadraginta quatuor Aras consecrabat, necnon multa fidelium millia S. Confirmationis oleo inungebat, ut vero juvenus bonis artibus, scientiis & præcipue fidei Christianæ præceptis rite imbueretur, Gymnasium erexit, illiusque curam Patribus Benedictinis selectu plane non poenitendo in perpetuum demandavit, simulque ad ingens hujus Gymnasii, Aulæ ac Diæcesis commodum nobilem Typographiæ officinam Frisingæ erexit. Insuper PP. Franciscanis Zeilhovii & Capucinis Neofrauenhovii novum hospitium suo ære construxit, & Ecclesiam Cathedralem restauravit. Cum inter tot labores Apostolicos jamjam Zelosissimi hujus Antistitis ætas ingravesceret, annuente Papa & Cæsare Joannem Theodorum Bavarizæ Ducem & tum Ratisbonensem Episcopum in Successorem sibi selegit; ipse autem die vigesima prima Februarii, cum pro more peracta re Divina, & persolutis precum diurnarum penso ad consuetum se conferret studium, apoplexia tactus, recepto extremæ unctionis Sacramento die vigesima tertia ejusdem Mensis meritis & annis plenus in Domino obdormivit, post-

postquam in mortali carne annos æta-
 tis septuaginta quatuor, Sacerdotii Sæc. XVIII.
 quinquaginta tres, & Episcopatus sui A. C. 1728.
 triginta duos, & dies viginti quinque
 transegerat, ac sibi, Deoque satis,
 communi vero proborum voto ac de-
 siderio parum vixit.

§. LII.

*Contentio circa corpus S. Augustini
 Ticini repertum a Benedicto
 XIII. Papa dirempta.*

Fluxerat annus sæculi decimi septimi Bullar.
 nonagesimus quintus, quo in Ec- magn. Const.
 clesia S. Petri in cælo aureo Ticini sarco Bened.
 phagus reperiēbatur, in quo inclusa Tom. X.
 erat arca argentea, cui inscripta erant pag. 385.
 hæc verba: *Corpus Augustini.* Consul-
 tis igitur antiquitatum monumentis,
 omnique adhibita, quæ poterat, dili-
 gentia Ticinensis Episcopus in hac arca
 exuvias S. Augustini Hipponensis Epi-
 scopi atque Ecclesiæ Doctoris contineri
 censuit; & quamvis per integrum quin-
 quennium non pauci varia dubia, ac
 difficultates movissent, nihilominus re
 novo examini subjecta triginta & unus
 S. Scripturæ & Canonum Doctores con-
 futatis aliorum argumentis sententiam
 suam pro iisdem S. Reliquiis confir-
 mabant. Nec tamen propterea ex-

Tt 5

tincta